



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. De obligationibus hominis Morientis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

mortis. Hinc cur hic moriatur ad huc in ventre matris : alius vix egressus & fugens ubera matris : alius in pueritia : alius in virili ætate, alius in senectute magna : id non solis causis naturalib⁹ sed dispositioni Dominatoris vite & mortis adscribendum est : hinc *Job. c. 14. Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt.* Quare quamvis complexio naturalis, & conservatio corporis, à noxijs & externis causis & eventibus fortuitis, promittat longam vitam, nihilominus terminus vitæ non debet expectari ab illis, sed à dispositione Creatoris. *Job. 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.*

Articulus Secundus.

De obligationibus hominis Morientis.

I. **H**ominis Christiani morientis tres potissimum obligationes sunt, nimirum ponderatio præsentis vitæ : purgatio accusantis conscientia, dispositio imminentiæ vitæ.

2. Ponderatio præsentis vitæ proprie consistit, in serio examine eorum omnium

quæ homo Christianus in vita sua gessit, ut perfecte se componat cum Deo, obtinendo peccatorum remissionem, procurando votorum, si quibus est adstrictus, satisfactionem vel dispensationem, adhibendo omnia quæ pertinent ad perfectam cum eo reconciliationem. Deinde cum proximo: restituendo ablata, deponendo omnem inimicitiam & rancorem, compensando, aut amovendo omnem læsionem aut injuriam. Demum cum se ipso: deponendo omnem malam voluntatem, auferendo omnem peccati occasionem, quietando omnem conscientiaë inquietudinem.

3. Purgatio accusantis conscientiaë, consistit in contritione, confessione, & delictorum satisfactione debita; hujus exemplum dedit: *Job. 10. Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi, dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam & non revertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis coligine, terram miseriae & tenebrarum, ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.* Hoc est speculum hominis ad mortem se disponentis,

nentis, ut tantisper se abducat ab omni turba, ut cum conscientia sua agat, & peccata sua plangat, in doloribus animæ suæ. Quod & in Ezechia accepto nuntio mortis & mandato, ut disponderet de domo sua *Isai* 38. clare speculamur: *Convertit (ait textus) faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, & flevit fletu magno.* Ut autem scias quid tunc egerit audi dicentem: *De mane usq; ad vesperam finies me, quid ergo? Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba,* hæc sunt animæ ad mortem se præparantis exercitia.

4. Dispositio imminentis viæ postulat: ut moriens disponat de temporalibus: quæ debet deferere: de spiritualibus quæ in exitu debet pro viatico deferre: de salvo conductu, & secura contra hostes defensione.

Articulus Tertius.

De dispositione imminentis Viæ in Morientibus.

1. **D**ispositio morientis, si familiam vel domum gubernet, vel temporales possessiones habeat, consistit in testamen-